


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITT. EMANUELE
6
17 D
64

VINCENTIADOS
LIBRI TRES.

VINCENTIADOS
LIBRI TRES
FRANCISCI DE ANGELIS
I. C. MEVANATIS

AD EMIN.VM ET R.VM PRINCIP.
CAESAREM
CARD. FACHENETTVM
EPISCOP. SPOLETINVM.









TVDERTI, Apud Vincentium Galassium,

Superiorum permissu. M. DCL. XVII.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPI

CAESARI FACHENETTO

S. R. E.

CARDINALI AMPLISS.^mo ET SPOLETINO ANTISTITI VIGILĀTISSIMO.

FRANCISCVS DE ANGELIS MEVANAS FELICITATEM.



INCENTII Pręſulis Meuanatis excelſa promerita meum acuerunt calamum, vt hac metrica laudatione cęleſtem hunc Virum Patrię meę Parentem, Vmbrię miraculum, Chriſtianę religionis fortiſſimum Martyrem, ac Eccleſię vniuerſę lumen commendarem. At incredibilis ingenij mei obſcuritas tantum Heroem illuſtrare, carminis coloribus exprimere, Orbique Terrarum vniuerſo venerandum proponere neutiquam poteſt. Verum enimuerò vt id, quod men-



mentis meę caligo pręſtare nequit, ſapientię, & nominis tui fulgore comparetur; hunc mearum Muſarum laborem ſingulari Eminentiæ tuæ humanitati, qua me beneficentiſſime complecteris, dicatum volui: ea potiſſimum ratione quòd Spoletinam Eccleſiam incomparabili pietate, ac vetuſtate nemini ſecundam, & totam Diœceſim mirum in modum, ac ſanctiſſime moderaris. In iſta enim integritatis, ac ſanctitatis luce poſitus efficies, vt, ſicuti omnes, qui tuo paſtorali ſubſunt regimini, in lumine tuo lumen aſpiciant; ita quoque tenebroſum meæ poeſis opus immortalitatis gloriæ ſplendore coronetur. Vale.

MV-

MVSAE AVCTOR.

Pieridum è domibus Clio discede supremis:
Arboris & recubes tegmine sub viridi:
Quæ Tyrios inter Patres olet alma per æuum:
Et tute hic disces ire, redire canens.
Calliopem tecum reuoces, quæ carmina libris
Scribat, & Herois celsa Trophęa canat
Vincentis Flammas, Vndas, fera Saxa, Flagella,
Vincla, Molam, Clauos, Eculeum, Tenebras.
Musa docebis atras Syrtes vitare per Orbem,
Possit Homo, ac, veluti scandere Regna Poli.
Denique Lectori dic Clio, blandus adesto:
Percipe, quæ prosunt: liuor & absit edax.

MIV



De mandato Reuerendiss. D. Vic. Generalis Tuderti vidi retroscripta Carmina nec aliquid esse, quod in lucem edi non possit inueni, in quorum Fidem, &c.

Ego Franciscus Caroccius publicus in Tudertino Gymnasio moderator ac maioris Eccl. Tudertinæ Par. perpetuus.

Imprimatur,
Augustinus Bizzarrus Pro Vic. General. Tuderti.

De mandato Reuerendiss. P. Magist. F. Hyacinthi Picchetti Inqisit. Generalis Perusiæ, &c.

Imprimatur,
F. Io: Baptista Barbareschi S. Thæologiæ Lector, ac Vicarius S. Off. Tuderti.

VIN-

VINCENTIADOS

Liber Primus



FRANCISCI DE ANGELIS I. C. MEVANATIS.

MArtyris inuicti Vitã, celebresque Triũphos;
Qui iam Dauidica Solymorum cessit ab Vrbe,
Et Fidei sacrosanctæ iactauit in aruis
Semina Meuaniæ, quæ tota inculta iacebat;
Pectore flagrat amor modulanti promere cantu.
Sed quando Pelago vult credere Musa carinam
Virtutum tanti sacrarum Martyris, inde,
Solliciti ventis multum iactata timoris,
Protinùs obruitur laxis compagibus Alnus.
Hic igitur vicit qui pectora dira Tyranni,
Occultos latices, obstrusaque flumina ab imis
Partibus euasit Populo ringente procaci,
Hic rapidos frænet fluctus formidinis, atris
Ne tanti cœpti sub pondere mergar ab vndis.
At tu qui factis, Heros, & nomine vincis,
Auxilium Musæ, Vincenti, ac robora præsta,
Quò tua gestorum mox Æquora remiger alta,

Ad portumque ratem ventis appellat amœnis.
Musa igitur gaudes sacrato hoc numine freta
Fluctibus edomitis cursum tentare per vndas
Incipiet, remis agitare per Æquora puppim,
Auris vt valeat portum penetrare secundis.
Vincentûm primum coluit Meuania Patrem,
Quæ sita Flamineū ad callē, ac vberrima frugū,
Italiæ vmbriferos campos est inter amœnos,
Claret flore Virûm, studijs vtriusque Mineruæ
Se illustrem iactat: præstans hinc Angelus ille
Angelus ille inquam dictus cognomine Cinus,
Inclyta cui tribuit Tyrium Doctrina Galerum,
Et Populos rexit tanta cum laude Picentes,
Prodijt, Oenotrij decus immortale Senatus.
Protulit insignem, nec nō, sanctumq; Iacobū
Non illum sanè Romano Murice clarum,
Sed vero Christi pretioso sanguine tinctum.
Pinguibus hic celeber ludit Clitumnus in aruis,
Clitumnus, quē Troiugenū Gens prisca Quiritū
Innumeris cecinit titulis, & laudibus auxit
Tingentem sacras Tauris candentibus Aras.
At Pater omnipotens Hominū, rerūq; Repertor

Pōp. Cōpagnon. in sua Reg. Picen. p.1 lib 5.pag 251.& 266.& lib. 6. par. 1. pagin. 284.& 286.& 289.in fin. cū pagin. seq. & Iacobill. in Summar. Vit. B Virg. cap.19 pagin. 188.

Hanc

Hanc Vrbem ſpectans Cęli ſtellantis ab Arce
Eumenidum ſeptam denſis, varijſque tenebris
Cor Petri afflauit, cui ceſſa eſt ſumma poteſtas
Tartara frænandi, Terram, Cœlumque ligandi,
Soluendique ſuum tota ditione ſuprema,
Vt Phlegethonteas Furias compeſceret omnes,
Vincentē è Solyma Hic dimitteret Vrbe Mini-
Ad Meuanates Populos, quos vīceret Heros (ſtrū
Non ferro, aſt armis Fidei, & Pietate Paterna.
Cœli ergo crebro compulſus flamine Petrus
Accitis Socijs dixit. Vincentius ibit:
Ibit in Heſperiam, Fidei quò ſemina fundat
In Meuanati campo vernantia fructus.
Vincentûs ſacris obtemperat illico iuſſis:
Et cupiens multùm ęternę pręconia Prolis
Miranti ſtudio totum vulgare per Orbem,
Vincere Plutonis petulantia Caſtra furentis,
Sub Britij obſequio caro cum Fratre Benigno
Carpſit iter properans latam Meuaniæ ad Vrbē,
Quam ſummo docuit penitus parere Tonanti,
Et Populus ſacris patefecit iuſſibus aures:
Non rutilans orbem Titan peragrauerat Anni,

Pinguis nec radijs lustrarat semina Terræ,
Cum scelerum multos infectos labe rudentum
Intrepidus Præsul lustralibus abluit vndis. (sit,
Clauiger Æthereus cũ primũ hęc auribus hau-
Nimirum, quòd commissa Meuaniæ ab Vrbe
Tot Fidei fructus, tot Relligionis honores
Heros magnanimus Vincentius ipse referret;
Iussa dedit Britio, qui tunc sua sceptra gerebat
Spoleti, fouit semper quod Moenia Martis,
Dum fortes Pœni tenues vexare Quirites
Instabant bello, pulchramque euertere Romam,
Annibalem sæuum longè, lateque fugauit,
Duroque exercens Libycas mucrone phalanges,
Quas Thrasumeni fortis conducebat ab vndis
Ductor Agenoreus suprema clade peremit,
Hostiles ne dum possent excindere muros,
Aut ferro, ac flammis miserã prosternere gentẽ:
Neue, vbi iactaret genitalia semina Arator,
Subrueret Fossor tumulos, euelleret Arcus,
Rudera Templorũ egereret, veteresq; Colũnas,
Nobilium quondam latè decora alta Domorum
Effoderet; stratasque solo, euersasque Viator.

Marc Guaz. in Cronic. super Ciuit. Spoleti pagin. 193.

Cer-

Cerneret excelſas Turres, Moleſque ſuperbas,
Nec grauiter ſecum tot damna videre doleret.
Iuſſa, inquã, tribuit Britio, quò munere ſacro
Paſtoris vigilis præſtans incederet Heros,
Cingeret, & niueos Meuanas Infula crines,
Vt meliùs poſſet conſtans vigilare ſaluti
Infidi Populi, quem merſum Acherontis in Alto
Fluctibus abſtraheret, qualis præpandus ab vndis
Turgentis Pelagi ſeruauit Ariona Delphin,
Et Maris ingluuiem miro conamine luſit.
Dum præſtans Heros Vincentius iſta volutat,
Concuſſat ſtygium grauibus terroribus Orcum,
Conaturque Gregem in portũ tranſmittere Cœli.
Iucũdis zephyris hæc quando per ęquora puppis
Currebat lęta occiduis ſpirantibus Oris:
Tũc Nero, qui Mare, qui Terras ditione tenebat,
Dęmonis imbutus peruerſis artibus acris,
Scandere quò melius poſſet faſtigia ſęua,
Prædo velùt quærit pelagum ſpoliare, Natantes
Chriſticolas ſtatuit cunctos agitare per Orbem,
Atque repente neci ſtultus committere diræ:
Efferus hic Populo pandebat vocibus altis,

Vr-

Vrbem Christicolas flamma euertisse rapaci,
Sicque volebat atrox, lueret vt sanguine pœnas:
Ipsius at summa irrepsit dementia mentem,
Vrbis quæ tantas ausit tentare ruinas.
Hæc fuit in Pelago Fidei tunc prima procella
Imperij rapidis ventis agitata Quiritum
Christiadum sanctam multorum contra carinã,
Dum Sol sex, & sexaginta peregerat annos
Post Christum natum sacrata ex Virginis aluo.
Tunc Capitolinus latas, pulchrasque regebat.
Vmbrorũ, Tuscûmq; Oras, quæ fruge redũdant;
Non tantùm optabat gladiũ demittere in armos
Christiadũ, tenuemq; includere sanguine vitam
Illorum, penitus qui Diuûm numina falsa
Spernebant veluti terrentis Monstra Barathri:
Crudelis quantùm plausus captare Neronis,
A quo cum primum vexandi iussa recepit
Illos, qui Christi Fidei percurrere Pontum
Vndique quærebant, & nubila pellere densa
Criminis infesti Pelagum vallantia Sacrum.
Horrendo statuit Prætor consternere letho
Christiadum Ductores, vt sic disceret omnis
Tur-

Turba ſequens Diuis cultum ſeruare perennem:
Namq; ſolet Princeps Ductores plectere pœna,
Aſſeclæ vt diſcant, Populus formidet & omnis.
Prætor anhelabat dũ facta hæc pandere ſæua:
Scit, rigidus Tuſcis quod iam Mauortius Oris
Sanguine præclaro genitus, fortique Quiritum
Appulerat, quique Indigetum quærebat honorẽ,
Hũc Equitẽ ò Proceres omnes accerſite, ad Aulã
Protinus vt veniat noſtram, tunc imperat: omnis
Egregius ſubitò Populus Peruſinus in vnum
Cogitur, atque Equitem longè, lateque per oras
Quæritat, vt valeat iuſſis parere Tyranni.
Inuenit vt primum, verbis affatur amicis.
O inſignis Eques Romano è Sanguine natus
Cur rapidos, dic? cur tendis per cõpita greſſus?
Siſte gradũ quæſo: noſtrum nunc percipe verba.
Turbatur ſubito, his dictis, Mauortius ore.
Quid petitis, dixit, Proceres, abſiſtite longe:
Protinùs at repetunt Proceres, & blanda reuelãt.
O ſate ſublimi Mauortis origine Ciuis
Non rubor ora tegat, terror non occupet artus,
Erige nunc oculos pauidos, exporrige frontem:

Is Capitolinus tua nos ad limina mittit,
Qui ius augusta Gryphorum dicit in Vrbe:
Hic narrare tibi non nulla arcana Deorum
Appetit: eia age, rumpe moras, hùc arripe gressus.
Mauortius subitò dictis innixus amicis
Claro cum Populo Perusinam pergit ad Vrbem:
Hùc vbi peruenit, penetralia pulchra petiuit
Prætoris, flexoque genu Hunc affatur onustum
Ostrina palla, sceptro, nitidaque corona:
Salue Prætor: salue ò dilectissime Princeps:
Nestoris æternus tibi donet Iuppiter annos:
Quid petis? efficiam: tua nunc arcana recludas:
Romanũ est Homines duros populare rebelles.
Fortis Eques, dixit Prætor, mea mēbra Colubri
Sibila lambentes linguis vibrantibus ora
Lethiferi scindunt infectis morsibus omnes:
Hoc posses Mauorti à me prohibere venenum,
Serpentesque feros armis iugulare cruentis;
Vmbrorum, Tuscûmque errat per cōpita Turba,
Numina quæ nostrum contemnit, falsaque dicit,
Prædicat atque Deũ Christum, qui stipite in alto
Mortem obijt flagris, spinis, & cuspide cęsus.

Omnis

Omnis debet Homo cultum ſeruare Deorum:
Et prudens ſemper debet curare Dynaſtes,
Sol vbi fulgentes Ædes vtraſque recurrit,
Quilibet vt Diuos veneretur tempore in omni:
Quiue Deos ſpernũt noſtros, & Numina pãdũt
Altera, crudeli vt tumulentur morte, neceſſe eſt.
Vmbrigenas Oras mox concurſabis amœnas:
Criſtiadumque Duces tu percontabere cunctos,
Qui ferro vincti ad penetralia noſtra trahantur:
Munera libabis: ponam ſimul atque trophęa:
Iuppiter vnde dabit rutilantes Axe coronas.
Hęc vbi dicta dedit, loquitur Mauortius vltrò:
O venerande nimis Princeps tua iuſſa capeſſam,
At decoras nimium indignum me munere tãto:
Alta trophęa Poli, non terrea dona reposco,
Et cupio tantum cultum defendere Diuũm,
Ac ſatiare meum ſcelerato ſanguine ferrum
Illorum, qui aſtu pertentant Numina noſtra,
Denigrantque Deos varijs hos artibus Orci.
Hic ergo leges vbi Prętor, iuraque agebat,
Vrbs antiqua manet, cultu ſpectanda Mineruę, Marc. Guaz. in Chronic.
Sanguineiſque feri ſtudijs aſperrima Martis,

super Ciuit. Peruſ. pag. 59. Iucundum poſita ad cliuum,nec frugibus expers:
Committit quoties crudum Gens Martia bellũ,
Et cruor, & ſęuę necis impetus vndiq; inundat:
Occumbuntque Viri confuſa ſtrage frequentes:
Petr. Crinit de Poet. Lat. capit. 43. lib. 3. Quos inter quondam cecidit Pater ipſe Poperti
Deſignatus Eques, ſpectabilis atque Triumuir.
Munera cũ primũ hæc tenuit Mauortius acer:
Gorgoneis velùti Alecto cumulata venenis
Iunonis iuſſu Latium vexare ruinis
Quæſiuit, Regiſque aulam complere colubris:
Sic cogit ſubito Hic gentes,contraque Tonantis
Coniurat Famulos crudeli hos tradere letho:
Mox turmis, acieque ruit, perque omnia verſat
Compita, quò poſſit iucundam ſumere prędam,
Quam ſumptam,victamque feris, duriſq; catenis
Ad Meuanates arces conduxit ouando.
Hic vbi Mauortûs cunctatur in Ædibus altis,
Aſſonat Herois noſtri, Fratriſque Benigni
Nomen,& omen,atro,ſimul & pia geſta Tyrãno,
Qui ſubito iubet hos ambos ſub carcere trudi,
In quo Chriſticolas palmis in terga retortis
Seruabat, ſecum Vmbrorum quos duxerat oris.

Ceù

Ceù ſegetes extant glacie,rigidaque pruina
Tempore brumali oppreſſę, non cernitur aruum
Gramine veſtitum,nec dulcibus Æthera complet
Pennatę Volucres,nec habent vaga Flumina cur-
Sed cũ purpureis Sol imperioſus Eois (ſum:
Sedibus exurgit, glacieſue,niueſue liqueſcunt,
Colludunt Limphę,diſſoluunt Flumina curſum,
Luxuriant ſegetes omnes, ridentque virentes,
Ceruleique nitent campi iam veſtibus omnes,
Et reboant Volucrùm cantus per prata ſuaues.
Ingreditur ſęuum ſic dum Vincentius Antrũ:
Vincula,Captiui, quos mœroreſque premebant,
Triſtitię ſubitò tenebras è pectore pellunt,
Extollunt caput, exultant, plauduntque ſerena
Fronte,fouentq; magis,magis omnes atq;catenas:
Vnanimique replent horrentia cantibus antra,
Vincentûmque vèlut Patrẽ venerantur,adorant:
Ad quos ſubridens Paſtor,vultuque ſereno
Protulit: ò Fratres,ò vos qui vincula fertis,
Durate, & curas è pectore pellite cunctas,
Exhilarate animos, choreas luſtrate viciſſim,
Neue timete graues horrentis cuſpidis ictus,

Nec trepidate feros de vulnere ferre dolores;
Supplicijsq; iuuet potius tabescere sensim,
Quàm non ferre bono Iesu tormenta paranda:
Pro Cœlo tormenta pati est laudabile semper.
Macti ergo Fratres nunc vos confidite Iesu,
Hic solamen erit, custos, victoria, regnum:
Scilicet in Terris post multa pericula rerum:
In nitidis Astris Æterna Luce fruemur.
Christiadum hac præda credens Mauortius esse
Felicem, rapuit gressus Meuania ab Vrbe,
Dum rota Luciferi vibrabat clara nitores,
Gryphorum vt subito celebres penetraret ad Ar-
Non quadrigentos passus molitur ab ista (ces:
Bellipotens nostra antiqua Vincentius Vrbe,
Cum super Hic cliuo vestigia sistit amœno,
Hìc vbi Francisci, cui stigmata sacra nitescunt,
Fratres, qui vili obnubunt velamine corpus,
Et pedibus gestant nudis calopodia summa,
Templa sacrata tenent, laudantes nocte, dieque
Æternam Triadem, cũctos sanctosque Polorum:
Iusto tum Pastor turbatus pectora sensu
Talia prorupit non vnum in verba dolorem.

Heu

Heu fera corda Virûm! crudelia quãta patefcũt!
Impietate vigent quantũ proh mẽbra Miniſtrũ!
Turba hęc Ghriſtiadũ vt Chriſti ſic iura refutet:
Creditis Ætherei vos tangere poſſe Tonantis
Limina? ſi nulla eximię Pietatis imago
In vobis regnat, ſtudium non regnat amandi,
Scita velũt Diuina iubent, ſacra Pagina mandat:
Vos Cœli neſcitis iter, calcatis Auerni,
Spernere ſi iuuat, & Chriſti non iure potiri,
Atque recuſatis ſi noſtrę adiungere Turbę
Vos, phlegetontei fluctus, tenebroſus & Orcus
Murmure cõſumẽt, vbi torquet Pluton habenas.
Hęc dixit Pręſul, poſt vertit lumina ad Vrbem,
Flamine fatidico ſic omina ſęua recluſit
Illis, quos Fidei lactauerat vbere ſacro:
Ah Meuanates mihi pignora cara Parenti
Iam iam vos miſeri poſt plurima luſtra ſub iſto
Æquore campeſtri rigidum cernetis Abiſſum,
Impietas mittet quem vobis, ſtabit in Æuo
Extenſo, totus Terrę trepidabit & Orbis:
His clauſit voces, lacrimis & ceſſit obortis:
Põdera Vincentûm, Fratrẽ, Socioſq; premebãt
Tan-

Tanta catenarum, ſtringebant ſtupea tanta
Vincula mẽbra Virûm, vix vnũ vt flectere greſsũ
Fermè non poſſent, vitales carpere & auras;
Exanimoſque videns Socios Vincentius omnes
Diuino ſubitò feruore incenditur, vllus
Quẽ carcer nequit, & nequeunt ſuperare catenę;
Quòue Tyrannorũ mage mens circumdatur ira,
Condendi quotquot reperît tormenta Perillus,
Hòc magis ille viget, qualis feriente ſecuri
Firma Ilex, vel ſtat rigidis Amaranthus in Vndis:
Sic loquitur Paſtor mœrentia pectora mulcens.
Quęnã? quę modo cœpit vos trepidatio cordis?
En via nunc breuis eſt, poterit quę ſiſtere pœnis
Greſſus, & nobis ſedes donare beatas:
Soluite nunc curas, frontes hilareſque niteſcant:
Fortes eſtote, in flammis vos ire parati,
In ferrum, mediaſque acies: vos vlla laborum
Nec tardet facies, vel turbida mortis imago:
Humanũ eſt luctari: hęc lucta parabit Olympũ!
Talia voce ciens ſocijs Vincentius iſtis
Et baculo, & pugnis nunc huc, nũc pellitur illùc,
Accepit donec proprijs Vectonia muris

Vin-

Vincentum, Sociosque, gradum Mauortius, atque
Statores sistunt, & corpora lassa reponunt,
Vt citius possint Turrenam pergere ad Vrbem.
Spemq; metumq; inter dubius Mauortius extans
Plurima quòd Socijs solamina ferret amatis
Intrepidus, clemens noster Vincentius heros,
Dum simul extabat, dū dogmata sancta docebat,
Iussit, vt à Socijs Pastor disclusus abiret,
Impia Gens vbi stabat, mitteretur in Antrum
Complexus spiris, loris, grauibusque catenis.
Continuò faciunt crudelia iussa Ministri,
Huius compescuntq; manus post terga catenis,
Speluncisque abdunt cęcis Hunc cōpede nexāt.
Tūc vigil huius erat Pastor Chrispolytus Vrbis,
Arctabatur vbi vinclis Vincentius atris:
Diditur hic subitò trepidus per mœnia rumor:
Hunc spectare pium Sociū Chrispolytus optat,
Prosequiturque suum studium sub nocte silenti,
Pastorem affari verbis vt possit amicis;
Qui Cœlū, Terramque regit, qui cuncta creauit,
Carceris ante fores Dominū sic corde precatur.
Magne Hominū, Diūūq; Parēs, sator optime rerū
Tu-

Tuque vna ęterni Proles ęquęuaque Patris,
Atque Paraclete,è Cœlo qui munera mittis,
Et gratum effundis rorem solaminis Orbi,
Elargire mihi, valeam quò luce tueri
Illum,qui mecum è Solyma fuit Vrbe profectus,
Hesperiam Fidei extersit iam lumine Terram:
Hic tibi crudeles laqueos, tibi pectore firmo
Antra, Cruces suffert vastę Telluris in orbę:
Pande fores, illique pio modò vincula solue.
Continuò fractis vinclis, portisque reclusis:
Lętus successit Pręsul Chrispolytus Antro,
Vincentûmq; humili superos videt ore precantē,
Dixit aue Frater: nobiscum Christus & adsit:
Iungentésque simul candentia brachia collo
Oscula libarunt, ambo obstupidique manebant,
Dicebantque pij Pastores (ò bone Iesu)
O grates quantas confers, & munera quanta
Indignis nobis Famulis sub Carcere toruo.
Hęc loquitur quādoiā Pręsul vterq; vicissim,
Antra repente nitent cœlesti lumine tetra,
Et loca, Statores quę circum, cuncta, tenebant;
Attoniti hi similes fundunt è pectore voces.

Quid

Quid mirũ? vnde iubar fulgẽs nũc mittitur iſtud?
Mittitur è Cœlo? Dicebant talia quando,
Protinùs ex illis vnus penetrauit in Antrum,
Et quatiens manibus pectus, ſcindenſq; capillos
Paſtores rogitat lacrymarum flumine oborto,
Vt vellent ſacro Baptiſmatis imbre lauare:
Poſt quam Paſtores ipſum docuere Tonantis
Legem, ſubmiſere genu, lymphaſque ſacrarunt:
Hic, alijque ſimul luſtrali fonte lauantur.
At dum flammantes ſtellas Aurora fugarat,
Fulgida puniceos quaſi lux detexerat ortus:
Amplexus vigilans Pręſul tunc iungit vterque
Alter in alterius conſtantia colla ſuaues,
Dulcia veràcis libat ſic oſcula pacis,
Corpore, nõ corde & linquit Chriſpolytus inde
Heroem noſtrum, dicitque nouiſſima verba hęc:
Frater amate vale immẽſus Dominator Olympi
Æternas Cœlî ſedes condonet vtrique.
Orta dies quando luſtrabat lampade Terras,
Cardine ſtridenti portas vertere Miniſtri,
Ærea Chriſticolis augent, & ſtupea vincla,
Condita ab Achęis greſſus ad mœnia tendunt,

Guaz. in Chronic. super Ciuit. Peruf. pagin. 59.

Quę proprio tenuere ſinu, illęſoſue Quirites
Annibalis rabie ſeruarunt, Pœnus ab vndis
Dux thraſymenis dũ penitus, penituſque retruſit
Romuleas acies gelido terrore ſubactas.
Ad Gryphonigeras Turres, & pergama Iani
Statores dum accedant, & Mauortius, atque
Chriſtiadę, duris ſtridentibus vndique vinclis;
Prętoris pergunt alti ad penetralia tecti,
Sic Capitolinum affatur Mauortius audax.
En modo ſerpẽtes: en prudentiſſime Princeps
Membra vorant tua, verborũ qui noſtra veneno
Numina deturpant: homines immergere letho
Æterno quęrunt: Tibi nunc compeſcere fas eſt:
Tunc Capitolinus lętus ſic protulit ore.
Magna quidẽ Cœlum promit miracula nobis,
Iuppiter & tibi fortis Eques ſua fulmina Cœlo
Miſit, queis valeas Serpentes ſcindere diros,
Pertentant multum qui noſtrum Numina perdi;
Trudantur cuncti tenebroſa ſub Antra Colubri,
Atque catenata teneantur compede cruſa:
Hinc vt poſſimus tormenta cruenta parare,
Hos dum non vincat Carcer funebribus vrnis.

Prę-

Prętoris curant vigiles mandata Miniſtri
Perpetrare citò: claudunt in carcere cœco
Chriſticolas omnes, vt nocte, dieque peroſa
Hi ſic intereant, lętetur Prętor vt optat,
Aut hi tabeſcant ſic ſenſim fruge repulſa.
Hęc Capitolinus credens ſpectacula mortis
Cernere Chriſtiadū. Antra mei reſerate Miniſtri,
Protulit expletis multis, multiſque diebus:
Heùs reſerate citò: mihi vos & dicite: viuant
An, qui noſtrorū ſpernunt iam numina Diuûm:
Ac audent Triadem totum vulgare per Orbem.
Prętoris ſubitò iuſſu reſerantur inanes
Antrorum poſtes, cernitque rubore Tyrannus
Chriſticolas lętos ſine iam pallore per ora:
Tunc ringit Prętor, clamat ſubducite noſtro
Aſpectu Hos: ſubito pereant, penituſque fatiſcāt.
Ecce Sacerdotes olli increpuere ſuperbis
Dictis: ò Popule, ò Proceres nunc ſigna Tonantis
Vultis: iam iam mittet vobis Iuppiter atra:
Terrarum totus ſic culctum diſcet & Orbis.
Iſtos pręcepit ſi Prętor perdere letho:
Cedite nunc ferro, nunc vos in fruſtra ſecate

Hos, tantũ optant qui nostros cõtemnere Diuos,
Atque colunt Christũ, indignę quẽ nomine sõtis
Commissum morti in Crucis alto stipite vilis
Cœlorum, Terręque volunt exprõmere Regem:
Rumpite quęsõ moras, ac horũ scindite mẽbra:
Sic rutilabit honor, nostros Diuosque coletis.
Extemplo insurgens Meuanas Pastor in ipsos
Ædituos cunctos, Populum, Proceresq; superbos
Sic ait. Est Christus Deus: est Hic Trinus, & Vnus,
Nempe Pater, Natus, Paracletus spiritus: omnes
Æquales gradibus, culctu extant Omnipotentes:
Vnus at Omnipotens, haud Omnipotentia trina:
Et Deus hic verus: primordia nulla crearunt
Hunc: cũcta Hic genuit: paret Huic omnia nutu,
Humanã & carnẽ dũ Christus sumpsit in Orbe,
Acriter humanam emisit cum sanguine vitam;
Morte sua infensum vt Terris placaret Olympũ,
Tolleret è manibus & nos dominantis Auerni,
Omnes ac loti baptismatis imbre nitenti
Possimus lęti cœlestia Regna subire.
Christus sicut Homo quamquã decesserit: inde
E letho surrexit ouans, ascendit ad Astra:
Vixit

Vixit ab ęterno, viuit, viuetque perenne:
Iudicium faciet Deus hic, Iudexque ſupremus,
In quo mulctabit Sontes, Iuſtoſque beabit.
Sacrifici, ò, Gentes ſi vultis ſcandere Cœlum,
Iſta fide firma toto credatis in ęuo.
Hęc vos non vultis num mente recõdere veſtra?
Inferni Satanas rigidis vos condet in vndis.
Quid vultis veſtris Diuis vt thura crememus,
Qui ſimul obſcuro tetri ſtabulantur in Orco?
Ducite ad illos nos: ſeu nobis ponite coram:
Noſtrum percipient, ſi perfida Numina, verba;
Aut certè nobis miracla videntibus edent,
Protinus illorum aris imponemus honores:
Sternemus ſecus inuicti ſimulacra Deorum.
Vtq; Sacerdotes nouere, & Achęica turba hęc:
Dixerunt ſubitò ingenti cum murmure vocum:
Et quid, Sacriligi vos non compeſcere vultis?
Stultitiam Pręſes cęcam perpende Reorum:
Ferrea vincla licèt palmas, & crura fatigent:
Non tamèn hi trepidant vires tentare Deorum.
Viuere non debet, qui Diuos deſpicit, immo
Hic penitus mortes crudeles mille meretur.

Cur



Cur igitur letho cessas multare cruento
Hos, qui nos contra exitium properare laborant?
Vocibus his subito vesanus Vulgus inhęsit:
Luctificę mortis resonantque sine ordine voces:
At Populi Consul pressit Valerius iram:
Sedatis animis igitur, Populoque tacente
Protulit ò Prętor, Diuorum Turbaque tutrix
Hęccine parua viget nostris fiducia Diuis?
Ne tantos tibi finge metus, exporrige frontem:
Istorum cunctis est iam dementia nota,
Numina qui Christi certatim falsa sequendo,
Atque viam furuam calcando cędis iniquè
Stulti conantur nostros offendere Diuos,
A quibus Imperij Romani cuncta tenentur.
Annuo, quòd ferrum istorum condatur in artus,
Quò nostros tandem cogantur noscere Diuos,
Templaque nostrorũ maneant ęterna Deorum:
Sed quia pręsumunt nostros eludere Diuos,
Spiramenta animę lethali Hi vulnere rumpent
Protinus Istorum, qui Numina nostra refutant:
Christiadumq; canens augusta Gryphonia sęuũ
Excidium, cinget viridi mea tempora lauro,

Ex-

Extenſoque ęuo ponet ſublime trophęum.
Hos Homines,igitur noſtrorũ ad Templa Deorũ
Ducite Lictores, vt noſcant numina noſtra:
Horum in thuricremis Aris indicere Honores
Si nolint: iſtos letho vaſtate cruento.
 Conſulis aſſentit monitis Turrena Propago:
Atque Sacerdotes decernunt Martis ad Ædes
Ducere Chriſtiadum Turbam,auxilioq; Gradiui
Chriſtiadum fatum miſerabile cernere credunt,
Sicque iubent:mox ſtatores glomerantur in vnũ,
Inſertantque horum dextras, & membra catenis,
Atq; trahunt rapide hosGradiui ad Fana vetuſta;
Chriſticolę at quãdo hęc ſubeũt Delubra;furẽtes
Æditui effundunt voces, Populique ſequentes.
 O vos ſacriligi qui tantum ſpernere noſtros
Audetis Diuos; pręſtate piacula Diuis
His; colite hos votis, precibuſq; His thura litate.
 Ad quę Chriſtiadum ſubridet turba piorum;
Lumina Vincentûs, palmaſq; ad ſydera tendit,
Et ſocijs pariter cum fidis talia profert.
Intereant ficti Diui, intereantque Colentes;
Eumenides ſunt hi Diui, Marteſque ſuperbi,
Queis

Queis non assulget Cœlũ,at cruciantur in Orco.
Ad pia Vincentûs Christum dum vota vocabat,
Ridebat Prętor, Populus ridebat & omnis;
Christiadumque tamèn tentabant gaudia pectus
Præsulis vt primum hæc cecidere oracula labris;
Nunc confundantur cuncti Simulacra colentes,
Belligeri Martis quassantur templa repente,
Eiusdemque ruunt extemplo frigida saxa,
Vndique peruersus Populus conterritus hęret,
Per corpusque tremor serpit,calor ossa relinquit;
Hùc illùc quęrit tantas vitare ruinas,
Tęnarij Manes Martis liquere Colossum,
Sexcentosque Viros lethali vulnere cedunt,
Semianimes alios solida tellure reuoluunt,
Inque iacent terra exangues, sic pectora pulsu
Spiramenta cient, fermè, & quatit halitus ora:
Cogitur & Satanas altas expromere voces.
Hei mihi nũc crucior pœnis,nũc implicor igne,
Tu Popule, ac Prętor tanti mihi causa doloris:
Veri namque Dei iussu, qui cuncta creauit,
Cõprimor ad stygias flãmas, religorq; Barathro.
Tũc reliquus Populus, qui cęde illęsus abibat,
Secta-

Sectatorque ſimul rigidus Mauortius inde.
Attonitis inhiant animis, lacrymiſque ſubortis
Talia vociferant, imoque è pectore mittunt.
En Deus vnus adeſt, ac extat Trinus, & Vnus:
Dextera namq; Dei moderatur, cuncta gubernat:
Chriſtiaduinq; Fides vera eſt, ſunt dogmata vera:
Et Manes Erebi ſunt Mars, & Iuppiter atrox:
O Triadis numen Populo ſuccurre cadenti,
Atque tuę ſanctę Fidei luſtrare coruſco
Digneris radio, Cœlorum & pandere portas.
Hæc poſt quã Populus, Mauortius ipſeq; dixit:
Pars ignens Populi, nec non Mauortius idem
Procubuere genu, ſic & ſermone repoſcunt.
Vincenti ò Victor Mundi, ſtygięque Paludis
Ne pigeat reſerare tua pietate paterna
Leges, à quibus Aſtrorum nos diſcere calles
Poſſimus Pater, his iuſſis nos inſtrue quęsò.
Tunc pietate docet Vincentûs dogmata legis,
Atq; Hominẽ penetrare Polũ non poſſe recẽſet,
Ni prius abſtulerit maculam luſtralibus vndis.
Illicò conſurgunt, & ſacri fantur ad Vndas
Iordani, hinc cœtus Populi, Mauortius, inde;

Salue,quę Dominum meruiſti,Lympha ſalubris,
Cuncta mouet qui,cuncta tenet,cõſpergere,ſalue:
Conſpergens animam vitalia limina pandis,
Criminibuſq; lauas ſqualentia membra Virorũ,
Atque fores claudis Ditis, reſeraſque Tonantis:
Ablue nunc maculas noſtras, ſceleratàque pelle:
E tenebris Orci deduc, ad limina Cœli.
His dictis contra Latices ſic talia fantur.
Mauorti accede, accede ò non credula Turba,
Robora quę Chriſti voluiſti tangere palmis,
Nùm in Terris,Erebo vigeãt,Cœloq; profundo:
Accede,& ſuperũ nunc dulcia pocula liba,
Criminis extinguunt quę ardentes corpore flãmas:
Phyſon ego fons ſum,gẽmis,herbiſq;redundans,
Quę decorant animam,membris donantq; ſalutẽ.
Hęmonię ſum Fons,nigrum qui vertit in album:
Oceanuſq; ferens tumidus bona cuncta per ęuũ.
Vocibus expletis his: tunc Vincentius omnes
Inflexis genibus Baptiſmatis imbre lauauit,
Virtutemque probant fontis,lymphęq; ſalubris.

VIN-

VINCENTIADOS

Liber Secundus.

FRANCISCI DE ANGELIS I. C. MEVANATIS.

TArtareos Manes poſtquàm tu Diua Propagō
Carcere ſub ſtygio clauſiſti compede dura,
Atque catenatis vinclis. Te, Chriſte, iubente
Perfidus is Populus poſtquā ſtygis antra ſubiuit,
Ordo vbi nullus adeſt,geminās aſt incolit horror:
Et poſtquàm ſancti vero pro Numine Cœli
Te, Ieſu, nouit ſęuus Mauortius: òlli
O Socij, ò Fratres, ò vos, qui pectore firmo
Iam colitis Chriſtum, dixit Vincentius vltrò!
Quę Pateromnipotēs,portenta, cacumine ab alto
Demiſit ſummo Populi terrore procacis,
Sint nobis,Chriſtum magis vt foueamus amantē,
Qui noſtras voluit voces audire precantes:
Et magis, atque magis poſſimus pandere Mūdo,
Quanta Dei virtus veracis,quanta poteſtas.
Eia igitur Fratres ſunt nobis munera ſumma,
Congruit ac etiam ſummas perſoluere grates:

 Red-

Reddere nos aliter Domino non possumus Axis
Sacrificando nisi Agnũ,qui sponte in Crucis Ara
Se obtulit, vt penitus deleret crimina Mundi.
Prȩsulis Assedȩ, his dictis, iunguntur in vnũ,
Atque gradus latȩ maturant Vrbis ad ima,
In quibus immensũ Dominũ rogitare solebant.
Hùc accedit ouans Prȩsul Phlegetontis ab atro
Bello Christiadum magna comitante corona:
Poplite tunc flexo, mentemq; ad sydera tendens
Vestibus induitur sacris: hinc circinat Aram
Mox fidus Populus: sacrata piacula Prȩsul
Sic nitidi Agni Patri offert, gratesque rependit:
Et precibus,modulisque sacris iam rite solutis,
Pastor cum socijs parua dum stabat in Æde,
Fratribus hisce suis dũ colloquiumque ferebat:
Tunc Capitolinus laruata concitus ira,
Effera prȩtumidi & quatientes corda furores,
Multȩ ac torquentes auidȩ prȩcordia curȩ,
Horrendum ex eo vidit quòd stragis aceruum,
Et simulacra suis in templis fracta Deorũm,
Iussa dedit: loca continuò penetretur ad illa,
Christiadũ omnis vbi latitat malaTurba,reclinat:
Cli-

Clitumni Paſtore illęſo, cęde vorentur
Omnes: ſed Paſtor nigro occludatur in Antro:
Quò liceat pœnis cunctos vexare per artus.
Hùc tendunt: greſſus vbi dum preſſere Miniſtri,
Inyciunt palmas,& ſtupea vincula collo
Vincentî intendunt, Aſſeclarumque Miniſtri:
Vndique Cuſtodum cœtus circumſtat & Ædem,
Eripiuntq; enſem è vagina,in membra recōdunt
Chriſtiadum:hos inter fundit cū ſanguine vitam
Paſtoris Frater martyr, caſtuſque Benignus
Extrema ſub luce fere florentis Aprilis:
Paſtoremque pium inducunt Spelęa Miniſtri,
Vt ſibi vel cedat, vel ſic moriatur in Antro.
  Ciuis Meuanas Euſtaſius ipſe vocatus
Cœlicolas quando ſupplex, humiliſque rogabat,
Tunc audit tenuem reſonare per ętera vocem.
Feſtina Euſtaſi, cœleſtia iuſſa capeſſe:
Corporis intrepidi fallentia lumina clauſit,
Atq; caput ſertis cinctus nunc Regna, Benignus,
Cœlorum ſcandit plauſu, magnoque triumpho:
I, ſacrata modo in tumulis tu membra repone,
Ne Peruſina extent tellure in pabula Brutis:
Hæc

Hęc vbi vox cessat, Ciuis mox ora resoluit.
Aliger es Cœli, alloqueris qui nube sub alta,
Tantaque grata mihi Cœli dum arcana reuelas?
Victima Cœlicolis, dic, est mactata Benignus,
Qui mihi vera dedit toties hic dogmata legis,
Stelliferos possem vt secum percurrere calles?
Ad quem vox ait, Eustasi loca iussa reuise,
Desuper hoc moneo, sum celsi spiritus Axis:
Hęc mihi iussa dedit sūmus Regnator Olympi,
Quę tibi committam: subito mandata facesse.
Aliger, his dictis, tenues excessit in auras:
His habitis volitat Turrenam Ciuis ad Vrbem:
Accedit gaudens, quando nox humida terram
Vndique iam tenso nigro velabat amictu,
Martyris & corpus carum suscepit in vlnis
Vulneribus fossum, conspersū & sanguine totū:
Mille sacris lacrymās impressit & oscula mēbris,
Et supra corpus fragrantia balsama fudit,
Ad Patriamque tulit magna cingente phalange
Seruorum Christi, & bustis occlusit in amplis.
Illicò fida ruit Gens ad monumenta Benigni,
Hic Christum rogitat, multa & miracula fulgēt,
At-

Atque Fides Christi crescit, nomenque Benigni.
Postquàm longa dies vexarat carcere iniquo
Luctantẽ Heroem: furibundus & inde Tyrãnus
Ad sua confidit Vincentûm ducere vota.
Custodes, inquit, portas vos carceris atri
Pandite mox: nostras Vincentûm adducite sedes.
Illicò Pretoris Vincentûs pergit in Aulam
Iucundus, lętus, fortis, Pietatis amator,
Prędicat hanc Pręsul cęco, toruoque Tyranno,
Vt videat cęcus lucem, Cœlumque capessat.
Ira tunc rapidus Pretor correptus Erinnys
Aggreditur verbis hunc compellare superbis.
Dic mihi, numue libet Vincẽti in carcere claudi,
Qui tenuit laqueis multis, ferroque ligatum?
Iesu & amor tibi prębet nunc solamina forsan?
Ad te de Socijs resonarunt nuncia vitę,
Qui tecum magicis sceleratis cantibus Orci
Sternere sunt ausi nostrûm simulacra Deorum?
Sed tunc Pretori subiecit talia Pastor.
Barbare, crudelis, dire, execrabilis, excors:
Nunc Acies mea, qua miro cingebar amore,
Teque iubente fero mortalia limina liquit,
Vi-

Vitales carpens cœleſtis Flaminis auras
Muneribus fruitur magnis ſub tegmine Ieſu :
Sacratiſque meis ſi nolis credere dictis ,
Cum iam Tęnareę dederint tibi pocula Erynnes:
Heu miſer ! & non conabor tibi dicere , ſumma
Gãudia quòd mihi ſunt tenebrę, tormẽtaq; ſęuã:
Altitonantis amor , dùm tecum pręlia iungo ,
Atque tuam quęro prauam pręuertere mentem ,
Munera ſumma dabit,Cœlis ſtatuetque trophęa:
Tãta pericla Deûm modo cur nõ mẽte reuoluis ?
Quos inſanè colis , quos & reuerenter adoras :
Claſſica noſtra precum dum concinuere tonanti
Chriſto,Siſyphium hi ceù pondus in ima ruerũt:
Excidium tantum Romę ſi Numina paſſa :
Heu miſer!heu demens! & quẽ tua vita ſequetur
Finem , dum falſis Diuis ſic ſtultus inhęres ?
Ah fuge , quid ſtruis ? & qua ſpe pro talibus vnã
Obiectare animam?ſic? ſic iuuat ire ſub vmbras?
Quas nec longa dies , pietas nec mitigat vlla .
Quid ſperare poteſt , qui deſperauit Olympum ?
Flecte gradus,ſint hęc tibi nũc medicina furoris,
Per quem nunc ſtygiam properas innare paludẽ.

Di-

Dixit Vincentûs. Prętor tunc percitus ira
Iudicibus voluens confeſtim lumina iuſſit:
Cogite, quò Phœbũ, ac Lunã Vincentûs adoret
Numina, quę Terris, Cœlis dominantur in altis:
Si renuit cultum his Diuis pręſtare proteruus:
Hunc torrete citò, cineres diffundite vento.
Talibus auditis, it contra verba Tyranni
Paſtor, & ipſius tentat mulcere furorem,
Ac falſum in verum pertentat vertere, mentem
E tenebris Orci rutilantia ad Aſtra Tonantis
Allicere, vt verum valeat cognoſcere Numen:
Edocet & quàmquã rutilanti lampade Mũdũ
Sol decoret, vires naſcentibus iſue miniſtret,
Atque Planętarum ſit iam Dominator in Axe,
Nocturnaſue fuget condenſas luna tenebras,
Menſuretque ſuis nobis hęc tempora gyris:
Non ideò Terrã, Orcũ, & Cœlũ numine torquẽt,
Quod Deus vnus habet, quod prębet trinus & vnus.
Hunc, Capitoline, hunc quęſo venerare Tonãtẽ,
Antiſtes dixit, nobis donare beatum
Qui valet Empyriũ tantùm: minimeq; Planetas
Iſtos, qui Triadi nutu famulantur in ęuo.

Prçſulis his dictis Prçſes conuincitur acer,
Et ſtupet, obtutuque hçret defixus in ipſum,
Hçſitat, àn liceatque ſibi ſua dogmata legis
Linquere, Chriſtiadumq; ſequi documēta piorū.
Hçc poſtquàm ſecum exegit, turbatur in ore,
Multa ſibi occurrunt penſanda, timendaq; multa,
Prçſertimque timor ſummi Regnantis in Vrbe.
Ancipitem ſpeculatur vbi Vincentius heros
Prçtoris mentem verſuto à Dite ſubactam,
Continuò inſurgens audentior edidit ore.
Cur dextram nixus mento taciturnus inhçres?
Attonituſque tuis mœſtis obtutibus aſtas?
Atque ſiles, muſſas gemitus dans pectore ab imo?
Et cur torpeſcis perculſus frigore mortis?
Numue tuum quçris geminato in funere funus.
Et ſi non quçris, cur tucunctaris amare
Chriſtum, & ſic vitam Vitç ſacrare perenni?
Ha quç tu dubius turbata mente volutas,
Si Chriſtum Regem noſcis, Numenq; triforme,
Chriſtiadumque fidem vitam ſine fine daturam.
Spernēdus fugitiuus honos, tituluſque ſuperbus:
Vincula ne timeas, neue aſpera verbā Tyranni,
Non

Non lapidum sęuos ictus, non verbera dura,
Nec pro Iustitia constanti occumbere morti,
Cœlorum astrigeras sedes si scandere anhelas:
Est Dominus tantùm verus, magnusq; timendus,
Qui potis est nos supplicio multare sub Orco.
Summum crede nefas vitam pręferre saluti,
Et propter vitam Æuiternas perdere Causas.
Flectat io ratio hæc Te, flectant Barbare iura!
Hei mihi qui cernit, vero extat lumine cassus,
Qui audit, nunc patula prorsus priuatur & aure,
Ipsius & sęuis curis iam corda grauantur.
His Capitolinus nulli feritate secundus
Se lęsum reputans rabido sic protulit ore:
Eia Lictores alacres crucietur in alto
Equuleo hic prauus, quē Nosmet fraudibus Orci
Dementare iuuat, cultumque abolere Deorum.
Protinus hęc duri Lictores iussa facessunt:
Contenduntq; fero tormento extendere Diuum,
Funibus intrepidum disiungere corpus ab imis
Iuncturis, totum duris vexare flagellis,
Pungere cuspidibus, solidis contundere saxis,
Et facibus castam torrentibus vrere carnem.

Ex tantis crucijs, pœnis, tantiſquè flagellis
Heros vitales fudiſſet corporis auras,
Robora ni Pater omnipotēs tunc firma dediſſet;
Qui cupiens multū eximios renouare triūphos,
Omina in Heroē noſtrum, & miracula ſumma,
Reddidit inuictum penitùs ringente Tyranno;
Vtque Adamas ſuper incudem ſi tunditur ictū;
Conteritur potius ferrū, quàm Adamas feriatur,
Docta ſiue manu crepitanti traditur igni;
Purior hic precioſus redditur inde lapillus,
Frangitur Hircino tantùm feruente cruore.
Sic erat in pœnis Martyr Vincentius illis:
Ira Tyrannorum, Ignis, Funes, Saxa, Flagella
Lędere non poterant, nequaquàm vincere Diuū,
Fortior apparens Tortorum languida membra
Reddebat: tantùm poterat cohibere Polorum
Rector, qui Superûm ſumma virtute replebat:
Cui Paſtor, veluti, cœleſtia carmina, Cygnus,
Cantans, extremas vitę dum ſuſtinet horas,
Arma Miniſtrorum, & vires carpebat inertes,
Quę nunquam poterant menti parere Tyranni.
Hoc Capitolini cum primum venit ad aures,
Cor-

Corde ſuo obſtupuit, totoque expalluit ore:
Vulneribus claudi Hũc lacerũ ſubCarcere iuſſit,
Vallarique Antrum armatę mox agmine Turbę
Denſę, centoculus quę circumadſtaret vt Argus:
Vllus ne poſſet Diuo medicamina ferre,
Sed ſic in tenebris miſerando funere obiret.
Cũ primũ Paſtor tumulatur Carceris vmbris,
En Diuina Manus rutilanti hunc lumine cõplet:
Aligerique citò Paſtori vulnera ſanant:
Et modulis recreant ſacris, alimenta miniſtrant;
Vnde videns Præſul miracula tanta Polorum
Poplite mox curuo conuertit lumina ad Aſtra:
Talia ſic lacrymans depromit pectore ab imo.
O lux, quæ nunquam radios effundere ceſſas!
Summis quando tuo luſtrabor lumine in Aſtris?
Illa dies veniet quando? in qua cernere poſſim
Te nitidam, Te ſanctam, Te bonitate repletam:
Quæ nunc ſolamẽ lacrymoſo in tempore mittis,
In letho Vitam, in Tenebris tu lumina fundis:
In Terra Cœlum referas, Pennata Caterua
Gaudia tanta mihi dum præbet (Sũme Creator):
Lumina, ſic ait, in Populum mox inde reflectẽs:
Heu

Heu Popule immanis viuis caligine mersus!
Dum veri Domini lumen, Numenq; propulsas:
Aspice nunc quęsò: aspice nunc miracula celsa,
Immensus quę Rerum Opifex patefecit ab Axe.
Cum primũ vox hęc reboare per ęthera cœpit,
Pars magna insidi Populi concurrit ad Antra,
Vocibus his rapitur Populi cor, mensq; procacis,
Attonitusque manet, nescit quò lumina vertat:
At cernunt quando Custodes omina tanta,
Horum membra quatit pallẽtia frigidus horror,
Ac tepidus, mœstusque coit formidine sanguis,
Captiuumque timent Pastorem è Carcere furuo
Exisse, vt fugeret seui tormenta Tyranni:
Firmo ducentes animo hęc per singula quęrunt
Compita Pastorem tectum splendore Polorum,
Custodes nusquam poterant spectare proterui:
Post redeunt: iterum perquirunt Antra Ministri,
Vincentûmque minus cernunt sub lãpade tanta;
Dicta hæc Pastori placuit tunc promere ab ore.
Parcite terrori Custodes, sistite luctum,
Et mentem ancipiti cura discutite pressam:
Non fugit intrepidus Miles, nec clade perire
Hor-

Horret, ſed potius iuuat occurſare periclis,
Tempora quò poſſit lauri pręcingere ſertis:
Inſolitis radijs Antro ſuccedite pulchro:
Colluſtrate Specus Diuina luce repletum:
Namq; egò conſtãti nunquã ſub mente reuolui
Linquere iucundas tenebras mihi gaudia dantes:
Pandite nunc oculos: verum cognoſcite Numẽ:
Maturate gradus, Prętori hæc dicite veſtro,
Quę Pater omnipotens mihi sũmo mittit amore.
Inuadunt callem, faciunt data iuſſa Miniſtri.
Aſt Capitolinus cum primum hęc exigit aure,
Exanimis ruit in terram, preſſuſque dolore
Clamitat ò Popule,exclamat rapidique Miniſtri,
Si à vobis miro ſum iam dilectus amore,
De medio hunc Hominẽ ſceleratũ tollite quęsò,
Sollicitat ſęuis qui me nunc cantibus audax:
Mergite ſub fluctus, qui flamma illęſus abiuit,
Atque vorent Piſces prorſus ſub gurgite vaſto.
Extemplo prompti crudelia iuſſa capeſſunt
Tortores, Titan Pelagi dum ſede cubabat;
Et laqueis arctus Pręſul, ſtrictuſque catenis
Magna crudelis Populi ſtipante caterua

Ad

Ad Thrasymenas pertrahitur Vincentius vndas:
Et tracto: rursus cinguntur membra catenis:
Grandia Pastoris collo dein Saxa ligantur,
Protinùs vt gelidis lymphis spiramina vitę
Perderet, atque cibus corpus sic Piscibus esset.
Postquā sic vinctū sua pondera magna grauabāt
Vincentium, gliscunt omnes immergere fluctu:
Littora tunc Populus circum se ponit adinstar
Agminis instructi ̄ telis in Marte secundo,
Tristia valdè optans spectacula cernere mortis.
Vociferatur ouans, rigidis Hūc mergite lymphis:
Mergitur intrepidus magno certamine vocum.
Tum sacer Antistes tales dedit ore loquelas,
Vt Pater omnipotens vellet confundere Turbā,
Et Fidei radijs hanc illustrare salubris,
Proh Iesu! me serua: nunc demergor in vndas:
Et mea feruentes fluctus pręcordia tangunt;
Iamque Lacus cœno vasti defixus in alto,
Non tantum teneo circa pręcordia robur,
Quo valeam illęsus summis exire periclis:
Serua: me serua Iesu, ne sorbear vndis:
Tuque iubar Cœli Fidei nunc lumina funde

Hos

Hos ſuper errantes Plutonia Tartara circum,
Ac bone tu Paſtor tua nunc velamina prębe
His, inſtar Sociorum qui pellacis Vlyſſi
Dementes errant Ditis tenebroſa per Antra.
Aliger, his dictis, Cœli demiſſus ab Aula
Diros perſoluit laqueos, extraxit ab Vndis
Illęſum Paſtorem, & labrum aduexit Aquarum.
Perfida Gens hęc nõ longè diſtabat ab Vndis,
Quę ſua coniunctim conuertens lumina retro
Paſtorem vidit immunem, quin viribus auctum,
Fluctib⁹ haud madidũ, qui cõſtãs corpus habebat,
Sidebatque lacus gaudenti ad littora fronte,
Summas atque Deo grates reddebat amanti.
Obſtupuit Populus, ſimul obſtupuerę Miniſtri,
Conueniuntque citò, Diuum venerantur honore
Poplite iam flexo, queis Paſtor pandere cœpit
Sacratas leges, poſſent quò exire tenebris,
Ac fortunatas Cœli conſcendere ſedes.
Irrita Paſtoris ſancti non verba fuere:
Quippe repente pias Gens hęc ſe merſit in Vndas
Luſtrales, currit vigilans Elephantus vt alter
Ad Fontes, quando in membris contagia ſentit:

Et veluti Ceruus, qui ſęua vt toxica purget
Serpentum, ignarus membris quę traxit ab imis,
Pręcipites greſſus ad limpida Flumina tendit,
Hinc vt concuſſę vires renouentur in ęuum.
Carcere contempto, Vinclis, Martiſq; Coloſſo
Fracto, compulſo Satana ſub Tartara dira,
Fluctibus, Equuleo, Facibus, Saxiſque ſubactis,
Gentibus ac multis luſtrali flumine lotis,
Ad Meuanatem exoptat Vincentius Vrbem
Ire, Gregemque ſuum Virtutũ paſcere in agris,
Hunc valeat Cœli vt nitidos adducere Fontes.
Digni vota Patris cum primum ſumit ab ore
Gens conuerſa, citò nutu ſe cogit in vnum:
Denſę Regẽ vt Apes sũmo comitantur honore,
Attollunt humeris, quin & crudelia ferre
Vulnera delectat, pulchręque occurrere morti,
Incolumis Rex ipſarum vt ſeruetur in Aula:
Sic pia Gens ſcapulis certatim attollere Diuum
Appetit, & modulis, citharis mulcere canoris:
Care Pater, dicit, nunc dorſo imponere noſtro
Te iam delectet, requiemq; imponere membris:
Non equidem iucundus nos labor iſte grauabit.

An-

Annuit his laſſus Paſtor, Gens fida repente
Extollens ſuper armos Diuum tendit ad Arces
Antiquas Meuanates cum prępete curſu
Per magnas reboante caua teſtudine valles.
Tunc reliquus Populus Peruſinus gutture voces
Funereas fundit conuerſis Gentibus iſtis,
Ni ſubito Heroem Peruſina in vincla reducant:
Neue fremit tantum Boreas dū Luna recondit,
Quantū huius Populi crepitans tunc ira furebat:
At Gens hęc conſtans, Patri & fidiſſima tanto
Infeſtis Turmis Gryphonis corde reſiſtit,
Inſequiturque gradus, Diuum portatq; viciſſim
Ad Paſtoralem ſedem comitante caterua
Chriſtiadum magna ſacras reſonante camænas:
Hoc iter inſequitur dum Gens conuerſa:repente
Complures Pręſul ſanat Vincentius Ægros,
Qui ſtabant iuxta feralia limina mortis;
Gens Pia cum primū acceſſit Meuanię ad Vrbē:
Meuanas Populus Fidei qui ſydere ductus
Carpſit iter properans lętus Paſtoris ad Ædes,
Ingreſſus ſubitò, veneratur poplite flexo:
Antiſteſque Gregi referat documenta Tonantis,

Vitia quò fugiat, Virtutes cogat & omnes,
Et Mundo ſpreto cœleſtia Regna ſequatur.
Non vnquam mea perſpexit Meuania priſca,
Sydere felici ſibi dum fortuna fauebat,
Tā pulchros, immenſos, præclaroſque Triūphos;
Quàm noſtri Herois toties Victoris in Orbe:
Tempore ſi elapſo proprios inſignibus auctos
Ciues excepit faſtu, patrijſque camœnis,
Induperatoreſque Quiritum curribus auro
Comptis aſpexit callem illuſtrare Triumphi;
Aſt humeris Hominū nullū celebrauit ouantem,
Vincentô excepto, qui perfida Tartara vicit,
Ac debebantur ſummi, eximijque Triumphi.

Pier-gil. in vita huius Santi Vinc. fol.39 & ibi in Annotat nu.19. fol.82.

Dum Capitolinus mœſtis hæc auribus hauſit
Omnia ſumma Dei veri, & miracula tanta,
Per corpus rigidi cœpere agitare dolores,
Extremaſque trahens luces, horaſque ſupremas
Protinùs inuitè hæc emiſit pectore ab imo:
Viciſti Vincenti: nunc modulare triumphos
Chriſto: nunc, me victo, Victor pone trophęa;
Proh dolor! en fateor nūc Chriſtū Numē adeſſe
Verum, ac in Cœlis, Terris, Ereboque potentem.

Lu-

Lucius vt rabie collectus Sylla furenti
Pectore conuulso, vi vocis sanguine oborto
Mox animam emisit, sęuoque locauit in Orco.
Sic animam post hæc Pretor de pectore fudit,
Stridens vt fulmen Cœlo dum mittitur alto,
Extemplò cecidit Plutonis flumen in atrum;
Tunc Phlegethōtei resonarūt murmure fluctus,
Scideruntque Vndę sceleratum vortice corpus.
Proh facinus! quid dicam? proh dementia quanta
Viribus enixis humano in pectore regnat!
Expertus verum hic cognoscit Numen adesse
Christum, dum cernit toties miracula tanta:
Dęmonis & tamèn hęrendo sic legibus Atrox
Oppetit, & duris pœnis vexatur in Orco.

VIN-

VINCENTIADOS

Liber Tertius.

FRANCISCI DE ANGELIS I. C. MEVANATIS.

STamina Prętoris dum Vitę Parca recisit,
Atque sua infensa hunc pressit ditione Tyrannū,
Antistes noster Vincentius arboris vmbra
Sub Fidei iam pascit Oues, arcetque lupino
Dęmonis ore, suo is ne possit dente vorare:
Sic grauat asta manus Fidei, lorica lacertos
Igniferęque tegens Charitatis pectora munit,
Atque spei cinctus cunctis latus ense resistit;
Lętus in arma ruit, Christi vexilla resignat:
Intentus totus pugnę non castra relinquit,
Atque suis potius satiare cruoribus arma
Optat, quàm Fidei Clypeum deponere Agone
In tanto, est dum fortis Miles, fidus Achates
Iesu, qui in Cœlis vitam pro morte rependit.
Vmbrorū, Tuscûmque ostro, sceptroq; potitus
Post-

Postquàm Porphyrius fuit, Hic prętorea iussa
Committit, statuit leges, Hic scitaque pandit,
Et Capitolini constanti pectore versat
Vlcisci mortem, Pastoris funere acerbo;
Vndique Statorũ Hic accersit in arma phalãges,
Obtutuque fero intonuit sic voce minaci:
Imminet interitus Vobis è cuspide acuta,
Si quis vestrorum renuat, si iussa moretur:
Non vos Statores Vincentûm noscitis illum,
Qui alterius Fidei noua semina spargere tentat?
Prędicat & Christum Numen per cõpita nostra?
Hunc Capitolinus si iam compescere pœnis
Sępè laborauit, quando hęc sua sceptra tenebat:
Is tamen impauidus Vincentûs cantibus Orci
In pœnis vixit, spreuitque is Numina nostra:
Et Capitolinus prudens si lumine Vitę
Orbatus manet, Hic est mortis perfidus auctor,
Ipsius ast erimus mortis nos durior auctor.
Hæc vbi Porphyrius misit furibundus ab ore,
Subdunt Statores: extat Meuania in Vrbe
Cum Socijs multis fortis Vincentius ille,
Qui euasit toties pœnas, tormentaque tanta:
Illùc,

Illùc, si cupis, vt gressus tendamus, & ipsum
Captum trudamus tenebrosa in vincula, iustis
Illicò pręceptis alacres parebimus omnes.
Eia igitur dixit Prętor: contendite cuncti
Ad Meuanates sedes, imasque latebras:
Neue morã trahite, imbriferos percurrite cãpos:
Alipedem cursum illas & conuertite in oras:
Arctate & vinclis Vincentûm, ad Claustra Ferarũ
Posteaque immitum armatis adducite turmis:
Nec date dein panẽ, neue vlla alimẽta, neç haustũ:
Sed fame, tumue siti pereat, rabieque Ferarum;
Vt semel hic cesset, qui spernit Numina nostra;
His dictis studium pedibus mox addidit alas
Statorũ, ac propere accedunt Meuanię ad Vrbẽ:
Heroem inueniunt nostrũ, mussantque, vicissim
Insurgunt subitò, flexis post terga lacertis
Trudunt Heroem rabidarum in Claustra Ferarũ,
In Meuanati Agro tunc propè limina Luci
Quę sacri extabant, campi super ęquore dicti
Nunc Pistrinorum, locus hic celebratus in ęuo
Antiquo, vt noster cecinit Propertius olli.
Militibus locus iste citò circumdatur omnis,
He-

Heros ne fugiat, nemo & ſolamina pręſtet,
At ſic mors penitus Prętoris vota ſecundet.
Profuit ad quid ſęuitia hæc Pretoris iniqui
Cōtra hunc Heroem Solymū? ſi Rector Olympi
Vndique defendit: non poſſunt vincere vires
Humanę, dum aſtat Virtus Diuina reſiſtens.
Vt Daniel ſęuos inter, rapidoſque Leones
Truſus, quò miſeras vitales clauderet horas,
Non moritur ſane, dapibus ſed viuit opimis,
Syderei Aligeri quas ſemper dextra miniſtrat.
Inter edaces ſic Vrſos, ſęuoſque Leones
Intrepidus noſter poſitus Vincentius heros
A Chriſto Dapibus Cœli recreatur, & Vrſi
Deponunt rabiem, mutant fera corda Leones,
Ac humiles certant Paſtoris lingere talos:
Sicgraditur lętus Pręſul per clauſtra Ferarum
Inſtructas ceù per Turmas: Belueque, Fereque
Ordine ſectātur miro Hūc, venerātur & omnes:
Noctis cuncta iacet dum tellus ſepta tenebris,
Paſtorem ſupra certant volitare Volucres,
Atq; replent totā numeris, moduliſq; Cauernā,
Vere ſolet velùti per amœna roſaria, flores

Æthereas varijs mulcere canoribus auras:
Tūc magis,atq;magis ſtupet hic Vincētius heros,
Et laudes Chriſto fundens, & carmina ſacra
O Volucres ait, ęthereis quę viuitis oris,
Cum nolint Homines verū cognoſcere Numen,
Auctorique Deo pręconia pandere vero,
Concentus mecum reboate per aera ſummum
Nunc Triadi immenſę, cunctis & Ciuibus Axis.
Immanes Belue Regi benedicite Olympi:
Numinis huius ego laudes vulgabo per Orbem
Perpetuò: ſub mortali diſcrimine vitam
Ponere non renuam, vitę & ſi mille darentur.
O miranda nimis Cœli portenta ſuprema!
Cur blandi vigilant Vrſi, blandique Leones?
Iucundo Volucres cur complent ęthera cantu?
Omnia quando ſilent,& corpora feſſa quieſcunt;
Quò Turmę referant Prętori hęc omina mira,
Comis & is ſurgat ſomno lethalis Erinnys:
Cum Chriſto & ſemper vigilèt, pręconia ſēper
Nocte, dieque canat, ſublimi & ſede fruatur.
Talia Porphyrio ſed dum portenta retexit
Iſta manus Turmę, is furijs agitatur Auerni,
Con-

Contemnit Christi lucem, laruatus & inde
Nō amat Empyriū, at stygias penetrare Cauernas;
Mox Meuan atem curru volitauit ad Vrbem:
Hùc vbi peruenit, Vincentûm perdere morte
Lymphatus quęrit, ferro Sociosque necare.
Cyrus vt optauit Scythium potare cruorem,
Vndique conciuit Populos ad bella mouenda,
Atque Scythas multos crudeli in funere mersit:
Sed Tomyris Scythię constans Regina potentis
Instruxit Turmas, Aciesque parauit acerbas,
Occursansque Hosti iaculis, gladijsque cruentis
Multa trucidauit Persarum corpora ferro,
Et Cyrus occubuit mortem iaculatus in artus,
Qui capitur, gladioque caput truncatur, in vtre
Humanoque citò tumulatur sanguine pleno
Hoc obtrudenti truculentas carmine cędes:
Sanguine te satia modo, quem tu Cyre sitisti.
Sic trux Porphyrius letho sitibundus acerbo,
Et valde cupiens totis emittere venis
Sanguineos riuos nostri Pastoris ouantis
Tortores rigidos ex omni parte vocauit,
Sic iussit. Demergatur Meuanię in Amnem

Hic peruersus Homo, quà velox altior vnda est:
Corripiunt subitò hi callem, rapidisue feruntur
Passibus, Heroem prescripta ad flumina ducunt,
Pretor & accedit, Populus concurrit, & inde
Mergitur in Flumen vinclis Vincentius arctus.
Hinc gaudet Pretor, Populus plauditq; repēte,
Clamitat, extensis Pretor iam viuat in annis,
Viuat & hic semper, qui constans nostra tueri
Numina nō timuit, placuit nunc perdere Sontē.
Hęç postquāPopulus dixit, Pater optimus Axis,
Cuncta Poli cernit qui scintillantis ab Arce,
Seruos atque suos caros non deserit vnquam:
Immo suis Famulis Deus est mirabilis olli,
Hos ferme inculcat nigra dum falce minaci
Mors, nec iam vitę spes his superesse videtur,
Pastorem nostrum psallentem flumine in alto
Audit, & exaudit: fluctus telluris hiatu
Sorbentur mox, cuncti sorbenturque Ministri,
Porphyriusque simul, cui Pastor dicere ad instar
Iam potuit Tomyris Reginę hęc verba procaci.
Vnda te satia, in qua tu scelerate sitisti
Demergi Famulum, qui Christum nunciat Orbi.

Por-

Porphyrius, Seruique ſimul ſic ore fuere
Telluris capti, vt ſtudio, ſummoque labore
Nullibi iam detur tales reperire Laniſtas:
Gens tandem impia ſic priuatur lumine vitę.
Fluctibus illęſus fortis Vincentius ibat:
Et Mundi, ac Erebi Victor volitauit ad Ædes,
In ſacris ibi purum altaribus obtulit Agnum,
In Cruce qui Mundi deleuit crimina cuncta:
Depaſcenſque Gregem Cœlorum pane ſalubri,
Sępius hunc Panem Diuinum ſumite, dixit:
Hic Tagus,hic certè eſt Gãges,hic deniq; Põtus,
A quo diuitię, laudes, & proſpera manant:
Sumite vos, inquit. cœleſtia ſpicula corde hęc,
Queis glomerare manum bello valeatis in hoſtẽ,
Tartareumque Ducem fortes ſuperare rebellem,
Dum parat hic animam ſęuis conſternere telis,
Aut dum molitur technis inuolere, & arte.
O Grex chare mihi hęc ſacri Myſteria Panis
Diſce libens: noſtri Chriſti mireris amantis
Pignora,quę nobis immenſo donat amore. (ſtus
Terra,Mare,&Cœlũ nequeũt quẽ claudere,Chri-
Clauditur orbiculo Panis: miratur & Axis,

Ma-

Materies, & forma ruit dum Panis ab orbe hoc:
Limine sicque suo panis natura recedit:
Altitonantis opes vere hic cumulātur & omnes:
Aligerûmque Poli sancta dum vescimur esca,
Esse facit Christus nos Christos: Christus & extat
In nobis, velùti in Regno dominatur Olympi:
Sic Paradiso nos fruimur sub tegmine Panis.
Hęc semper vestrę sint menti dogmata fixa:
Namque citò spero Capitolia ad Axis iturum,
Quę vos scandetis mea nūc monumenta colētes,
Acriter in Mundo si vos certabitis omnes,
Pro Christoque mori nec vos tormēta grauabūt.
Hęc vbi dicta dedit candentis plena salutis:
Vt Cęsar, toto qui dum spectante Senatu
Iura dabat Populo claro, doctoque Quiritum,
Oppressus coniurato mucrone repente
Vitę horas clausit, Cœloque Cometa refulsit.
Sic documēta dabat dū vero hęcPastor amore,
Annis iam grauidus, meritis plenusq; supremis,
Porphyrî Lictores irrueruntque vicissim
Heroem in nostrum sanctū, ceù fulmē in Ædes,
Ac septem duris terebrarunt tempora clauis,
Di-

Discessit victo & Victor Vincentûs ab Orbe,
Dum claro in sexto radiabat Iunius ortu:
Consulis Imperium Rufo, Galloque tenente,
Et Phœbus septem decies expleuerat annos
Virginis à partu, qui Mundum morte redemit.
Tempora Vincentûs Clauorũ stẽmate cinctus,
Tum cũ Sol totũ vaga lumina spargit in Orbem,
Aurato scandit Cœli Capitolia curru,
Euectusque fores pulsat: tum Clauiger Axis
Immensas, pulchrasque fores, portasq; resignans,
Vnde venis? poscit, quo nam te nomine iactas?
Quid fers, vt valeas penetralia tangere nostra?
Siste gradum quęsò, tua nobis cuncta patescant:
Nemo Poli signat certos ad sydera calles,
Ni spolia ęrumnis exercitus ampla reportet:
Attonitis animis heros Vincentius extans
Sic ait. O Patris omnipotentis Ianitor Aulę,
Meuanas Antistes sum Vincentius, Vrbe
A te dimissus Solyma iam: semina Terrę
Vt Clitumnigerę celebri, vastęque, superbę
Prębcrem Fidei, scelerum quę oppressa iacebat
Spinis. Terra dedit mihi Tedas, Vincla, Flagella,

Vndas, Saxa, Molam, septemq; in vertice Clauos;
Vincula struxerunt Currum, simul atq; flagella,
Quem Tedę fecerunt auro, & Saxa decorem:
Hęc Mola duxerunt, atque Vndę ad cōpita Cœli,
Hi Claui rutilis cinxerunt tempora gemmis.
Si Pater annuat Æthereus penetralia Cœli
Scādere nunc cuperē: tu quęsò hęc dicta reporta.
Sistit, & interea opperitur Vincentius heros:
Tum Petrus sacri Pastoris verba capessit:
Affaturque Deum. Cunctorū ò Conditor alme,
Cœlorum postes iuxta Vincentius instat,
Qui à me pręclara Solyma dimissus ab Vrbe,
Funderet vt Fidei semen per compita Mundi:
Iam fudit, multasque animas ad Sydera misit.
Saxa, Faces, Vndas, Clauos, & Vincla, Flagella
Ipse gerit, tibi cuncta tulit quę pectore firmo.
Cœlicolas Pater omnipotēs tū cōuocat omnes:
Pręcipit, vt currus, citharas, & plectra canora
Accipiant, Cœli Diuo reseretur & Aula.
Astrigeri Proceres curant pręcepta Tonantis,
Curribus, & modulis, fidibus, clangore Tubarum
Stipatum ducunt Cœli ad penetralia Diuum,

Cui

Cui pedibus plaudunt choreas pęana canentes:
Fulgentem Pater omnipotens Hunc induit ostro,
Et nitidam prębet palmam; sacramque tiaram,
Lucentisque Poli gemmata in sede reponit,
Post tantos capiat solamina summa labores.

Quamquã Carnifices Clauorũ morte necassẽt
Pastorem nostrum: tamèn impetus ille furoris
Tũc magis, atq; magis Lictorũ in corde vigebat:
Ac veluti Vrsi, prędarum qui corpora cędunt,
Et non expleti cupiunt in frustra secare,
Et carnem malis, sannisque vorare cruentis.
Sic Diuum sęua Lictores clade necasse
Insaturi, statuunt corpus demittere in vndas,
Gurgite quo vasto, ac Vndarũ vortice pressum,
Herois tanti prorsùs monumenta perirent.

At Pater ęthereus, qui bis eduxerat vndis,
Quando vitales auras carpebat in Orbe,
Noluit vt Mundi miseris dum cessit ab oris,
Conficerent Vndę corpus, Piscesque vorarent.

Numine cœlesti afflatur Gliceria quędam
Meuanas Mulier summa Pietate decora,
Diues opum, simul excelsis natalibus orta,

Vt corpus Diui fulgens hoc vrna recondat:
Prosequitur sanctos afflatus: pondo repente
Auri sexaginta sui Gliceria corpus
Emit Pastoris constantis ab Hostibus illis,
Qui iam tentabant penitus disperdere in vndis:
Hoc super effudit redolentia balsama corpus,
Marmoreo in Tumulo lacrymās & cōdidit inde.
O Mulier pietate flagrans! dum sola sub omni
Orbe Cleomenem superas, fortemque Darium:
Nobiliora quidem tua nunc pręconia fulgent:
Cęsa locant tantùm in tumulis hi corpora terrę:
Sed redimis duris tu corpus ab Hostibus auro,
Et lacrymis perfusa genas in marmore ponis.
Proh genus infandū! quod tātū vincitur auro,
Auro comprimitur, Crassum sectatur & Auro,
Et dicit stygijs Auro nunc mergor in Vndis.
Tandē quis poterit tantos superare Triumphos?
Non poterit Mundi virtus, sed sola Polorum
Tantorum poterit gestorum ęquare labores.
Hic rabies Hominū, hic Tedas, hic Vincla, Flagel-(la
Hic toties Vndas, Hic Martis Numina falsa,
Hic Antra, Hic Clauos fixos in tempora vicit.

Huic

Huic inter fortes quis nolit cedere Diuo?
Pelides cedat, cedat Tyrynthius Heros,
Cedat quis quis Romanorum Iure potitus
Ac lauro cinctus magno Capitolia fastu
Intrauit toto Populo mirante Quiritum.
Rurali in campo postquàm Gliceria corpus
Presulis inuicti madidis tumulauit ocellis,
Vmbrigenas fidas hoc Gentes diditur inter,
Certatim hæ subitò currunt, venerãtur & omnes
Militis Ossa pij, multum Vincentius illis
Fert Cœlo auxilium, portenta, atq; omina fundit:
Cõcursus magis hinc crescit, miracula crescunt,
Et crescit fidus Populus, decrescit at inde
Perfida Gens: hæc noscit Christum Numẽ adesse
Verum, ac scire cupit legis fundamina sacræ;
Lustralique artus fœdos conspergere lympha,
Moliri vt valeat gressus ad Regna Polorum.
Meuanas Populus cernens miracula tanta
Pastori, Patrique suo tunc condere Templum
Vnanimi sensu sancit Meuania in Vrbe;
Extruit & pulchrũ: hoc intus simul ossa reponit
Martyris inuicti, in Tumulo seruatque nitenti;

Collocat atque ſuam ſedē hac Succeſſor in Æde
Tunc paſtoralem : ſedes per plurima luſtra
Imperium Fidei ſacratum temperat : inde
Inuida Gens Vrbem populatur Barbara totam :
Incola non remanet, prędantur vndique Ciues,
Et ſtrepitat Genitrix lactans ex vbere Natum,
Dum fugiens hęc neſcit, quò ſua mēbra reponat,
Mole ruinarum ingenti aſt exangue cadauer
Conſpicit, in ſparſis Maieſtas horrida membris
Viuit, & eſt Tellus magnis aggreſſa ruinis;
Aduena ſic dubitat ſparſum calcare cadauer,
Templaq; & Heroū cineres, Maneſq; ſuperbos.
Vnde Sator Sūmus ne corpus Martyris huius
Paſtoris noſtri cari, fratriſque Benigni
Orbatum culctu ſtaret Tellure ſub ima:
Gallos, Lucenſes decorauit munere ſacro hoc.
O quàm felices eſtis, ſimul atque beati!
Felices Ciues, fortunatique Coloni,
Corpora noſtrorum quos ditauere Parentum:
Inuidet ac tantum vobis Meuania priſca,
Quantū Sanctorū exornant vos corpora Patrum:
Amplius ipſa valet nec corde, ſinuque fouere,

Ni

Ni tantùm Offis fragmentum Paſtoris amati.
Fortibus his licèt orbetur Meuania Chriſti
Militibus, Fidei qui perfudere cruorem,
Excidium potuit monumenta aboleſcere nullũ,
Quę tenet,ac tenuit conſtans mea Patria ſemper.
Hæc monimenta Orbi hę ſacrę teſtãtur & Ædes,
Quas ſtruxit Populus Vincentô, Barbara poſtquã
Ceſſauit Gens illa feras renouare ruinas.
Feſta Dies teſtatur, quam Micchillus in Æde
Matrici celebrat, teſtantur dona Senatus,
Cerea, quę prębet, Diui & Simulacra, quotannis
Quę Populus colit,& geſtat per compita circum,
Iuñi dum lux ſexta nitet, Vincentûs obiuit
Inqua, Clauorum ſertis Hic tempora cinctus,
Atque Poli tota ſumma plaudente Cohorte
Aſcendit meritis plenus Capitolia Cœli.
Vincenti ò quantum coluit mea Patria tota
Te, colit &, Patrem, celebrat Piergilius ille,
Qui pius,ac doctus,prudẽs,& primus in Æde hac
Matrici nitido calamo tua geſta recenſet.
Quę latuere diu nulli bene nota Parentum
Tunc

Tunc Clitumnigenum, ni cum Piergilius iste
Ex varijs scriptis mire congessit in vnum.
O Pater, & Tutor tu nostris annue votis,
Custodi insidijs, grauibus defende periclis,
Vt tecum tandem Cœli Regione fruamur.

FINIS.



EIVS-

EIVSDEM AVCTORIS.

DIVERSA CARMINA

DE EODEM S. VINCENTIO

PRIMO MEVANIAE EPISCOPO.

SVPER PSALMO DAVIDIS XX.

POSVISTI DOMINE IN CAPITE EIVS CORONAM DE LAPIDE PRETIOSO.

ELEGIA.

NOn veluti Victor, fortis Vincentius, alter
Romanus lauro tempora compta tenet:
Tempora ſed fulgent pretioſis plena Lapillis,
Queis toto Victor redditur Orbe potens.
Chriſti dum reſerat legem, vim præbet Acates
Facundum, & gratum reddit in ore Virûm.
Dum timor vrget ſub toruo, ſtolidoque Nerone,
Horrores Adamas profugat, ac remouet.
Funeris inter adeſt crudelis tanta pericla,
Ictus Beryllus flauus abeſſe facit.
Mauortis cum intrat Templum proſternit Iaſpis
Mox

Mox Simulacra Deûm, Tisiphonemq; fugat.
Dum manet in tetro Pręsul, Carbunculus, Antro,
Expellit tenebras, lumine & Antra replet.
Ignis dum vexat, Funes, Hunc Saxa, Flagella
Sapphirus reficit liuida membra nitens.
Vortice mersus adest Fluuijque, Topazius Vndas
Feruentes cohibet, murmura & alta vetat.
Cedant scandentes viridi Capitolia lauro
Huic, est qui gestis, nomine Victor ouans.



De eodem, qui stygium Minotaurum Meuanię in Labyrintho clausum Fidei gladio necauit.

EPIGRAMMA.

Minotaurus erat visu execrabile Monstrum
Cretę, qui Pueros dente vorabat edax.
Hunc Theseus gladio crudeli morte peremit,
Attica vt immensa missus ab Vrbe fuit.

Mi-

Minotaurus erat Stygius Meuania in Vrbe,
Dicitur hic Satanas dilacerans animas.
Hunc ſubito Fidei gladio Vincentius audax
Strauit, cùm Solymę miſſus ab Vrbe fuit.
Ille necis paruos, multos Hic faucibus arcet.
Ille Trophęa Solis. Hic locat alta Polis.



De eodem Sancto Vincentio,

D. VINCENTIVS.

Anagramma.

CINCTVS VENI.

FErre cupit toties Vndas, rabiemque Tyranni,
Clauos, Vincla Molam, Saxa, Flagella, Faces.
Cur tantas pœnas, cruciatus ſuſtinet Iſtę?
Nomine namq; ſonat CINCTVS ad Aſtra VENI.



De Beato Iacobo Blanconio nobili Meuanate ex augusto Prędicatorum Ordine,

Tetrastichon.

QVi Cererē, Bacchū gignit, Sol fulget in Orbe
Vnicus, & prębet robora summa viris.
Iste Crucis signo Panem, Vinumque Iacobus
Auget: nunc igitur Sol nouus Orbe nitet.



Crucifixi lignea Statua dictum B. Iacobum orantem alloquitur, & è latere dextro pretiosum Sanguinem in Ipsum èffundit,

Hexastichon.


FVdi membrorum: nunc cordis fundo Cruorē:
Tunc Homines emi: nunc tibi pando Polum.
Sanguis si pretium fuit olli Emptoris amantis:
Nunc tibi cęrta tuę hæc signa salutis erunt.

Ser-

Serue Iacob viuas hilari nunc fronte sub Axe;
Atque mei Cordis deflua mella bibe.

Ad Eumdem B. Iacobum.

SAnguine consperſum poſtquā ſe vidit Iacob:
Mox ruit in Terram, ſic ait: en morior.
Inter cur moreris cœleſtia Pabula? Sanguis
Si vita eſt nobis, & tibi vita datur.
Hanc cupio vitam vinclis diſſoluere: in Aſtris
Æterne vt viuam quàm citius, retulit.



Ad Eumdem,

Super eius Antiphona, quę incipit
Luna plena gratiarum Chriſti lota Sanguine

Tetraſtichon.

NAſceris vt primùm, albeſcit tua luna, Iacobe,
Proximus & morti es, ſanguine lota manet.

Apparet dispar cur nobis omen in Orbe?
Omen Vitę vnum est: ac obitus aliud.



Ad D. Nicolaum.

Pataręum Auctoris Patronum in puerili ętate
prodigia magna prę se ferentem,

Epigramma.

MEmbra tenella lauant Infantis balnea quãdo:
Infans exultat, sicque iacere lubet.
At dum Nicoleu nutrix tua membra lauabat,
Cur mox surgebas balnea cara premens?
Annuit, haud iaceo, surgo, quò pręlia iungam
Carnem contra, Orbem, Tartara sęua cito.
O miranda nimis! puęrilia membra repellunt
Hostes, quos non dum noscit inesse Puer.
Nõ igitur Puer, ast Homo tu perfectus in omni es:
Atque Homo sed sanctus nasceris ex vtero.

In

In Eumdem S. Nicolaum.

Castitatis Vindicem.

AVrea poma trium cultis seruabat in hortis
Hesperidum tumido peruigil ore Draco.
Et tamen Alcides pretiosa fruge potitus
Euristhee tibi munera rapta dedit.
Contrà Nicoleos tres auro à morte Sorores
Liberat, & Cœlo parta trophęa refert.
Infremit horrēdus stridens Draco: colla Draconis
Impiger ille, Auri prodigus ense secat.



Ad D. Franciscum de Assisio gloriosissimum Auctoris Protectorem.

NAsceris, & spernis, frēnas, tua corda fatigant,
In stabulo, Mundum, Tartara, Flagra Crucis.
Æternę es noua Francisce ergo Prolis Imago,
Quam Triades pinxit, quam Triades decorat.

Ad

Ad D. Antonium Patauinum Auctoris pariter Patronum ab infante Deo blanditijs amantissime complexum,

SI puerum Christum stringis; si Christus & ipse
Te stringit, tangit, tangis in Orbe Deum.
Raptus amore tuo capit oscula, iungitur ori:
Te fruitur, frueris, Te rapit ad superos.
Si raperis, raptus cunctorum hic vota secundas,
Dicitur ò mirum! sic trahis Axe Deum?

Ad S. Mariam Magdalenam, quę pœnitentia mediante Virginitatis candore refulgens Cœlum rapuit,

Elegia.

IN prunis ardet feruescens Portia amore:
Vertitur in lymphas mox Arethusa fugens.
Bustum seque facit cara Artemisia coniux,

Vt

Vt Mausuleos collocet hęc cineres.
Magdala cum primum noscit sua crimina praua,
Flagrat amore Dei, vertitur in lacrymas.
Virgineis redolet candoribus vndique corpus,
Carnales motus dum premit ista suos.
Est Mulier bustū hęc, sub quo mundana recōdit:
Atque suum quęrit semper amare Deum.
Sicque pedes Christi lacrymis conspergit amaris,
Abstersisse comis sępius hosque iuuat:
Atque petit veniam culparum Magdala, dicens
Iesu parce mihi: parcere quippe tuum est.
Magdala sis hilaris, culpas dimittimus omnes,
Christus ait: dabimus maxima Regna Poli:
Magdala quàm felix! dum culpas plangis amare,
Euadis Virgo, tu rapis Empyrium.



Si non poteſt Homo à peccato reſurgere abſque auxilio gratię Dei : ergo per pœnitentiam reſurgendo non naturę, non lacrymis, ſed ipſi tantùm Deo tenemur.

SI lacrymas ſtillent oculi, ſi pectora mittant
Singultus, fremitus nocte, dieque ciant.
Vt Pater omnipotens condonet crimina cuncta,
Et reſeret nobis Regna beata Poli.
Nõ dãdũ hoc lacrymis, naturę haud, ſed tibi Chri-
A quo in contritum gratia tanta fluit. (ſte
Si lacryma eſt ſcelerum vindex, ſi teſtis amoris:
Solus amor Chriſti eſt: purus Amantis amor.



Ad

Ad Meuaniam

In translatione insignium Reliquiarum Sanctorũ Christi Martyrum Aurelij, & Feliciani è Romano Cyriacę Cœmeterio ad Aram Assumptionis Sanctissimę Theotocõ sitam in Ecclesia miraculosissimę Virginis Marię Gratiarum Meuanię.

In Festo Pentecostes die XIII. Iunij 1666.

Elegia.

COminij Proceres, Passienumque propago
Hęc illustrarunt pergama nostra prius.
Te concinnarunt Propertius, atque Varenus,
Palladis arte vnus, Martis & alter ouans.
Huius & Vrbis erat Vitellius incola priscę,
Conscripti Patres, Castraque Romulea.
Hic mansit Caius Cęsar Gallicola cogens
Armatas Acies, bellaque sęua parans.

Pierg. in Annot. ad Vit. huius S. Vinc. & Iaco bil. in Vit. B Iacob. Meu. capit. 10. Corn. Tac.

cit. ab Excel. Neró. Histor lib. 3. Sueton. in Gallicolam capit. 35. Titus Liu. lib. 9. Iacobill. vbi supra.

Imperiosa volans sic tu Memmia fortis
Tutus Asilus eras Vrbis, & Orbis amans.
Aurelij, Feliciani dum ossa recondit
Virgineum et Templum hoc, nobilior rutilas.
Aurelius fundens auram per compita Mundi
Proteget hanc Patriam, sic Charitesque dabit.
Felicianus erit tibi felix tempore in omni:
Stella Cometa tibi semper erit placida.
Gloria fusa tua & complens sermonibus aures
Æquora trans vehitur, famaque ad Astra petit.
Tantos nunc rogites Heroes Virginis Æde hac:
Sic Pater omnipotens Empyrium reserat.



Su-

Super Ecclesia insignis Collegiatę Sācti Michaelis Archangeli vetustę Meuanię post multa expleta Sęcula solemni ritu consacrata ab Eminentiss. & Reuerendiss. Principe Cęsare Fachenetto S. R. E. Cardinale prestantissimo, & Sppletino Antistite dignissimo Die Lunę XI. Octobris 1666.

Epigramma.

NOn sacrata Ædes promissa est Spōsa Tonāti:
Post quam sacratur iungitur ista suo
Sponso, qui mandat Festum celebrarier Anno
Quolibet in psalmis, cantibus, & fidibus.
Connubia expectata diu hęc Michaelis in Æde:
Cęsare, tunc dantur, Pręsule magnanimo.
Et cur ? nam Cęsar Cœli seruire Dynastę
Huic tantùm potuit Coniugio in celebri.
Munere pro tanto vincta est Meuania semper,
Cęsaris ęternùm iussibus ipsa subest.

Eidem Eminentiss. & Reuerendissi. Principi;

Epigramma.

E Procerum genitus qui claro sanguine, Cęsar,
Doctrina excellens, moribus & redolens.
Qui decus immortale Patrũ, quos Purpura ditat,
Qui bonus est Pastor, semper vbique pius.
In festo Michaelis qui vagitibus auras
Vitales primas impulit eximius.
Ille Michaelis statuens Encęnia Templo
Viuit in Orbe potens, stabit in Axe nitens:
Viuit in Orbe potẽs, Michael quia protulit ortus:
Stabit in Axe nitens hoc mediante Duce.



Ho-

Homo,

Dubiosus aut prudens, aut ignarus: si prudens, non infelix, at felix: si ignarus semper infelix.

Super Homine dubio prudente.

SÆpius incautus non curat facta sequenda:
Sępius at prudens ambigit, ac trepidat
Incauti vires pereunt velut vmbra repente:
Et prudens titubans robora firma tenet.
Momento incautus felix, sed tempore in omni
Est felix titubans, cunctaque tutè gerit.



In Dubiosum Ignarum.

QVid faciat Dubius, nescit: quò vertere mentē
Ambigit, ac vacuum viuere semper amat.
Sic sufferre iuuat, sed nullos condere fructus:
Et requiem poscit, nec requiem reperit.

O mi-

O miſer, infelix! viuit, ſed viuere neſcit:
Non agit, atque labor durus & omnis ineſt.

Dies eſt Nocte nobilior.

NOx Tenebrarũ mater, nox eſt mortis imago:
Nocte viget furtum, crimina praua parit.
Et Pluton princeps tenebrarum ſemper in Orco
Gliſcit nocte frui, quò chaos ingeminet.
Toto quidue chaos fuit Orbi durius olim?
Quid peius? tenebris omnia mixta iacent.
Omnipotens odit tenebras, ſed lumina Lucis
Quærit, nempe oritur, dum moriturque ſimul.
Nocturnum tempus quid nobis proficit vltrò?
Ni pulchris radijs Lux nitet illa ſuis.
Nox cedat Luci, cum Lux dominetur in Orbe:
Namque Dies Lux eſt. Lux Deus ipſe Dies.

Vt

Vt Iuuenes ad Virtutem consequendam inflammentur.

STemmata Maiorũ, non iactes, nomen Auorũ:
Nam decorant Homines Sudor, & Ingeniũ.
Quisque nitet Virtute sua, non sanguine Patrum:
Nobilitas vera est, imperat, hęc, superat.
Maiorum Virtus Virtuti calcar adaptat
Si Virtute cares; nobilitate cares.

Ad eumdem finem.

NOn loca Magnetũ, summi nõ Aula Dynastę
Nobilitant Homines, ast Homo nobilitat.
Vir locus est igitur, Vir sed virtute redundans:
Efficit iste locum nobiliora tenens.



Ad L. Brutum Romanę Libertatis Defensorem:

Elegia.

ROmulus ille satis laudandus conditor Vrbis:
Sed debes laudem Brutus habere parem.
Dum Patrię Vindex, dum libertatis amator:
Consulis imperium quò modereris ouans.
Ast execrandus nulla pietate vigente,
Dum caros Natos vis iugulare tuos.
Brute Pater quid agis?cui tu furibundus inhęres?
Hi Nati non sunt viscera pura tua?
Si tua: non vlla pœnali lege ligantur:
Si tua non extant, iura paterna negas.
Iura negare nequis; Natos damnare iuuabit?
Cędere si Natos, cędere teque iubes.
Est caro Natorum Patris, & sic Patris imago:
Lex soluit Patrem, soluit & hęc Sobolem.
Dele igitur Brute ò Genitor nunc scita furoris:
Et reuoces legem Patris amantis amans.
Hęc tua non pacant Genitor fera pęctora iura?
Non Pater es verus, brutus at alter ades.

Ad

Ad Meuaniam ob catholicę Fidei defensionem in suis gentilitijs Insignibus a Clemente VI. & Innocentio VI. Pontificibus

Opt. Max.

Purpureo Colore, argenteis Clauibus, & candida Cruce redimitam.

GLoria magna fuit tua si, Meuania constans
Emilia ex prisco tempore clara Tribus:
Splendidior reboat vasti per compita Mundi;
Bella cruenta cupis pro Pietate pati.
Nobilis ò quantum, felix, simul atque beata,
Ex hoc dum bello munera summa tenes.
Claues, atque Crucẽ tibi Papę in Stẽmate donant
Purpureo, vt ponas celsa trophęa Solo.
Gens ecquę poterit tua Mœnia sternere telis,
Crux Petri in tyrio stemmate si rutilat?
Et poterit Petrus tibi Cœli claudere postes,
Ipsius Claues si geris vsque modo?



Ad eumdem S. Vincentium.

Hymnus.

PLectra linguę nunc Popule
Tange cantus pollice,
Atque pandas gloriosa
Martyris impauidi
Gesta Clauûm solidorum
Digna certe stemmate.

Nam si Claui Saluatoris
Nostri sunt insignia:
Insigniri sic decebat
Caput nostri Militis:
Cum certantes coronentur
Regis Christi crucibus.

Psalle quando Pastor datus
Claustro fuit rigido,
Lupi, Tigres vt vorarent
Et Leones faucibus:
Canunt Aues nocte tota:

Sunt

Sunt & Ferę humiles :

Flammas, funes, & flagella,
Saxa dura patitur
Hic, eſt fortis, & Miniſtrum
Carpit vires tenues :
Vtque Vere Roſa corpus
Vernat conſtans florido :

In Spęleis fulget Paſtor
Laceratis carnibus :
Non dolores, non angores
Sentit, at delicias :
Ringit ſęuus & Tyrannus,
Cruciatur, moritur.

Velut lupos, velut Tigres,
Velut feras alias
Vicit Pręſul clauſtro diro,
Vincat Lupum ſtygium :
Ne nos poſſit dente fero
Deuorare fragiles :
Amen.

Ad eumdem S. Vincentium Episcopum,

Hymnus allegoricus.

In quo Mundus fingitur Æquor. Succulę verò, siue Hyades sunt septem Stellę in capite Tauri, & hæc quoties nascuntur, vel occidunt pluuias creant & ponuntur pro septem peccatis lethalibus.

Sydera autem Ledę, quę fauent Nautis, sunt Castor, & Pollux: & ponuntur pro integritate, & puritate mentis, atque cordis.

PAstor salubri gramine
Pâsti Gregem qui creditum
Splendor piorum Martyrum,
Et clara lux Cœlestium.

Nos qui natamus turbidum
Mundi Profundum labilis
Ventis malorum criminum
Motum citò crudelibus.

Te

Te deprecamur cernui,
Qui cordi inhęres Numinis
Fuſo tuo pro ſanguine,
Nos ne flagellent Succulę.

Nautas ſolent quę mergere,
Quando minantur feruidos
Imbres peractos horridis,
Vdiſque Ventis Africis.

Nobis micent at Sydera
Ledę, Notos quę temperant,
Imbres minaces exigunt,
Turgens & Æquor comprimunt,

Quò Nos periclis eruti
Puris queamus greſſibus
Intrare Portum Syderum,
Tecumque Chriſtò perfrui.
Amen.

Super eodem Santo Vincentio ad Meuanates

Hymnus.

Linque Meuanas celebrare Vatem,
Qui caput lauro decorans virenti
Nobilem reddit Patriam camænis
Omne per æuum.

Sed caput clauis solidis habentem
Pro Deo fixum modulare cantu
Scissa iam duris toties ferentem
Membra flagellis.

In Deo Clauis tua corda fige
Irritos prauę Veneris flagellis,
Antra qui inducunt tenebrosa Ditis,
Comprime motus.

Sic, erunt comptus, faciendo, currus,
Vt queas sedes penetrare Cœli,
Angelis tractus nitidis, flagella,
Sertaque, Claui.

De

De B. Iacobo Blanconio nobili Meuanate ex augusto Prędicatorum ordine.

Ode.

QVis nunc Blanconij proferet omina,
Quę è Cœlo veniunt maxima fulgido,
Si in Luna hic rutilat,
Dum Mater peperit,
Mirantur mentes Hominum.

Hic Cęcos decorat lumine limpido:
Defunctis subitò viuere pręcipit,
Et lumen Fidei
Effundit Populis,
Vanas expellit tenebras.

Permutat liquidas in Mera dulcia
Hic lymphas Putei ter: Operarijs
Accrescit Cererem,
Omnes & saturat,
Cuncti captantur studio.

Hic

Hic libat Domini pocula Sanguinis,
Dum Chriſtum rogitat ſcandere compita
An poſſet ſuperum
Iam lęta facie,
Dum vitę exiret laqueis.



Ad D. Nicolaum Myrę Antiſtitem inter miraculorum Sanctos Anteſignanum,

Hymnus.

SVmma Manus Gratiarum
Nicolaum genuit:
Vt hic infans edoceret
Caſtigare corpora:
Puellarum Caſtitatis
Reparator optimus.

Egenorum ſubleuator:
Afflictorum Conſolator:
Hę-

Hęresisque supplantator :
 Sator Christi fidei :
Et Mitrarum summus decor
 Vndique nunc rutilans .

Tu si quęris euitare
 Procellas in Pelago ,
Perturbantes Inimicos ,
 Anfractusque Satanę ,
Pete citò Nicolaum
 Myrę magnum Pręsulem .

Hic procellas , inimicos ,
 Callidumque Satanam
Fugat : Ægros sanat mira
 Manna sui Corporis ,
Quę de riuo Paradisi
 Effluenter scaturit .

Auras Hic vitales donat
 Extinctis Corporibus .
Trucidata membra iungit ,

His-

Hiſque reddit ſpiritum;
Noſcunt Vitę nouum lumen
Myrę à tanto Prędule.

Honor, Virtus, & Poteſtas
Ciuis huiuis Patarę i
Patri, Nato, Paracleto
Simul detur iugiter:
Plaudat Mundus, plaudat sẽper
His miris Virtutibus.



Ad B. Claram de Montefalcho,

Hymnus.

ALma Virgo Mater Dei
Cœli Verbum baiulat,
Omne bonum Mundo prodit
Verbo è tanto maximo:
Fitque nobis verbo Verbum

Ani-

Animarum pabulum.

Monsfalcona Virgo Sacra
Clara Crucis nominata
Mente Crucem perpendendo
Corde Chriſtum imprimit,
Nempe Chriſtum crucifixum,
Claudit felle Triadem.

Patefacto Mundo Corde
Clarę ſanctę Virginis
Redemptoris noſtri nomen,
Ac ſacra Myſteria
Paſſionis ſuę durę
Omnis fidus recolit.

Et infidus noſcit fidem,
Confitetur Triadem,
Dicit iſta ſunt arcana
Summi Patris ſyderum,
Sunt miranda, ſunt colenda,
Sunt nobis in dogmata.

Cor ſi quiſque Chriſto prębet;
Chriſtus Cor efficitur:
Et in nobis Chriſtus adeſt:
Noſque Chriſtus dicimur:
Hęc ſunt ſolùm veri Amoris
Tanti Amantis pręmia.

Hęc miranda Clarę dona
Sint nunc Patri gloria;
Filioque, Paracleto,
Cohortique Virginum,
Quę ſunt Stellę Paradiſi,
Quę ſunt Mundi lilia.
Amen.

Do Triadi laudes tua Paſtor geſta canendo
Vincenti, atque tuum protege me famulum.

F I N I S.



